



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Proloqvium ad Tractationem de Attribvtis Christi Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)



PROLOQVIVM AD TRACTATIONEM DE ATTRIBVTIS CHRISTI DOMINI.

CHRISTVM geminae substantiae Gigantem, aliis in speciemus, & earum substantiarum alteram, perfectionum aduentitiarum capacem, varijs naturae & gratiae perfectionibus, ex utroque illo ordine lectissimis, in eam diuinitus plena manu congestis exornatam, demirati sumus. Nunc ex Christi sic plenè constituti varijs attributis, consideranda sunt nonnulla. S. Dionys. ex interprete, passimque antiqui, vt notat Urbanus quodlib. 3. q. 2. cum haec in Deo considerant, vocant Diuina Nomina. Et quamquam in rigore aliud est Nomen, aliud est Attributum, cum etiam Essentialium, Attributis anteriorum dentur nomina, & eiusdem attributi plura nomina esse possint: tamen vsus apud plerisque fert, vt Nomina cum Attributis confundantur. Igitur nonnulla dumtaxat ex Christi attributis consideranda suscipio. Vt enim omnia nomina Christo in Scripturis tributa recenserentur, casuum volumen esset necessarium, quod monuit S. Hieronymus in cap. 46. Ezech. vbi eiusmodi Christi nomina, sex supra triginta, cursim profert. S. Damasus carmine de cognomentis Saluatoris, multa Christi nomina sic conspauit.

Spes, & Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen,
Iudex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacerdos,
Messias, Zebaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator,
Virga, Columna, Manus, Petra, Filius, Emmanuëlque,
Vinea, Pastor, Ovis, Pax, Radix, Vitis, Oliua,
Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator,
Verbum, Homo, Rete, Lapis, Domus, Omnia Christus Iesus.

1. Origenes hom. 3. in Ierem multa his paucis est complexus. [Vnum subiaccens est Domino meo Iesu Saluatori. Hoc vno subiaccens, alio intellectu Medicus est, iuxta quod scriptum est: Non necesse habent sani medicum, sed malè habentes. Alio intellectu Pastor, secundum quod irrationabilibus praest. Alio intellectu Rex, secundum quod rationabilibus principatur. Alio intellectu Vitis vera, secundum quod inserti in eam homines, vberimos afferunt fructus, & exculti à Patre agricola pinguedinem vitis vere ex vnius radicis consortio assumunt. Iuxta alium intellectum sapientia: iuxta alium veritas, iuxta aliū iustitia: verum tamen subiaccens, vnum est.]

Fusu, nec omissa expositione aliqua singulorum, recenset eadem Origenes tom. 1. in Ioan. ad illud, Erat Verbum. Nec pauca S. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 8. & Esed. 4. demonstr. cap. 10. ac Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani hominis forma.

ma, propè toto. Necnon Nazianz. orat. 1. et 36. ferè in fine, ac Chrysost. hom. in Eutrop. sub medium, et S. Cyrill. Hierosol. catech. 10. initio, exponens cur Christus cum in Symbolo dicatur, Vnus Dominus, tamen tam multis tamque diuersis denominationibus in Scripturis designetur; pariterque Augustinus serm. 190. de Temp. Octo symbolica nomina Christi, et vt vocat, effigies quas sensus Catholicus per vias lucidas, et Spiritus sancti splendore radiantes, deprehendit, recenset et illustrat Arnobius iunior, in conflictu cum Serapione lib. 1.

3. Sed fusè et pulchrè S. Cyrill. Alex. de Trinit. à cap. 23. hoc argumentum pertractat, distinguens quatuor eorum classes. Quædam enim dicuntur de eo, ratione solius diuine nature, et antecedunt coniunctionem humanitatis cum Verbo; Quædam in ipsa vnione; Alia post vnionem; Denique aliqua post Resurrectionem ei conueniunt. Primi ordinis prædicata, S. Cyrillus sextuplicia statuit, sunt tamen ab hoc instituto aliena, quia hic non diuinam Verbi personam nudam, et simplicem, sed humanitate vestitam et compositam spectamus. Prædicata verò secundi ordinis, triplicia recenset S. Cyrillus: nempe quædam à potiore extremo, id est, à Verbo, quædam à despicatiori, siue ab humanitate, quædam ab vtriusque simul copulatione. Iam in classe tertia, collocat primò, aliqua diuinam Christi naturam sonantia: hoc est omnia primi ordinis attributa, demptis ijs quæ puritatem diuine persone et exclusionem humanitatis ferebant. Nam ob coniunctionem diuine persone cum humana natura, omnia huiusmodi prædicata Incarnatione anteriora, de Christo quoque, post vnionem considerato dicuntur. Secundò reponit in eadem classe, aliqua prædicata designantia humanitatem assumptam, quæ postmodum sextuplicia esse demonstrat. Tertio denique aliqua Christi prædicata in eadem classe collocat, quibus ambæ nature et vna persona Christi insinuantur. Tandem S. Cyrillus, numerans quæ Christo attribuantur post Resurrectionem, vnde existit ordo quartus prædicatorum eius, alia ait esse diuinitati congruentia, alia humanitati, nonnulla etiam vtrique simul; quorum omnium exempla, ex Scripturis profert.

Alium in his tradendis ordinem inuit Villauic, lib. 2. de ratione studij Theolog. cap. 2. obseru. 7. 8. 9. 10. quædam enim, ait tribui Christo vt Deo, alia vt homini, alia ratione vtriusque simul: quædam de eo vt exaltato et regnante, alia de eo vt deiecto et patiente: nonnulla in vnâ naturam cadentia propter persone vnitatem transferuntur ad aliam: pleræque de Christo vt homine singulari, alia de eodem vt capite vnum mysticum corpus constante cum Ecclesia, et membrorum suorum persone sustinente, de qua est regul. 1. Tychonij quam alibi ex Nazianz. et Aug. multis exemplis illustratam dedimus, tractantes quomodo Christus peccata aliqua sua, ob quæ à Patre derelingeretur cognosceret. Deinde non aliam ad coordinanda Christi in scripturis attributa methodum quæsiuit Vincent. de Flumaro Monachus Cassinensis, duobus lib. de Christi nomin. quàm initialium cuiuslibet nominis siue attributi litterarum.

4. Nos in sola attributa Christo homini conuenientia intenti, commodissime ea in quinque classes digeremus. Nempe statuentes primo loco, quæ ad ipsum Christum secundum se spectatum pertinent. Secundò, quæ ei dem competunt in ordine ad Deum. Tertio, quæ suscipit per respectum ad creaturas quascumque. Quarto, quæ adueniunt ex ordine ad creaturas intellectu præditas. Tandem quinto, quæ habet per ordinem ad homines. In singulis porrò classibus ne in infinitum fundatur oratio, dimittendi fore erunt tituli metaphorici, demptis perpaucis illustrioribus, et in Scripturis vel apud PP. celebrioribus. Ceteri quod alius eis re ipsa non subit sensus quàm proprijs de quibus agemus, vel prætermittentur, vel ad proprias reuocabuntur, et permixti cum eis proponentur. Opus Vincentij illius quem proximè memorauimus itemque Cant. 2. Harmonie mundi Francisci Georgij. Non alijs ferè Christi attributis aut nominibus, factum est